



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Prætermissa Libri Secundi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

P R Æ T E R M I S S A  
Libri Secundi.

Gregorius V. Othonis Suenizæ, & Bauariæ, ex Iuditha Lotharinga filius, Ludolphi nepos, & Othonis I. Magui Imp. pronepos, Saxon Germanus ex vrbe Vuangia, Bruno antea vocatus, ex Monacho Monasterij S. Viti Corbeizæ Saxonice, primùm Verdenfis Episcopus XVI. deinde Pontifex Max. die 8. cal. Iulij, vacantis sedis 6. anno 995. Rauennæ pronũciatus; postmodum Romæ coronationis, & consecrationis insignia suscepit. Romanorum seditionibus agnatus, & præsertim Crescentij Consul, qui abeunte Othone Imperatore factus insolentior Ioannem quendam Græcum Pontificem creatum, in Germaniam ad Othonem III. Imperatorem abiit: à quo benigne exceptus, & in Urbem reductus, sedis que Petri restitutus, undecimo exilij sui mense; eundem Othonem Imp. Beneficij accepti memor inuinctum diademate Imperiali redimiuit: constitutione, lege que lata de Imperatore deligendo, quibus ius illum eligendi solis Germanis attribui uoluit, nempe, ut qui sic eligeretur, uerus esset Augustus, dummodo tamen à Pontifice Romano confirmaretur. Electores autem deputati fuerunt sex; tres Ecclesiasticis Cancellarij; scilicet Archiepiscopis, Moguntinensis, Germaniæ, Treuirensis Galliæ, & Coloniensis Italiæ: & tres seculares, utpote, Marchio Brandenburgensis, Camerarius, Comes Palatinus Rheni, Dapifer, & Dux Saxoniz, qui enslem portat. Et ad tollendam discordiam additus est septimus Boemiæ rex, Pincerna, ut cui parti inclinaret, ea potior haberetur: unde versus

*Maguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,*

*Quilibet Imperij sit Cancellarius horum:*

*Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis;*

*Marchio prepositus Camera; pincerna Bohemus.*

*Hi statuant Dominum: cunctis per sæcula summum.*

His gestis, Pontifex ipse, qui ob longas elemosynas, & alia bona quibus claruit, MINOR GREGORIVS, appellabatur, sanctis operibus plenus, maximo omnium; & præcipue pauperum dolore, ex hac uita migravit Rome, an. Domini 998. die 14. cal. Martij, Pontificatus sui anno 2. mense 7. die 25. & sepultus est in Vaticano: ad cuius sepulchrum adhuc in Basilica S. Petri, prope altare S. Andrea, sequens legitur Epitaphium:

Hic

Hic quem tegit humus, oculis vultuq; decorum  
 Papa fuit Quintus nomine Gregorius.  
 Ante tamen Bruno Francorum Regia proles,  
 Filius Othonis de genitrice Judith  
 Lingua Teutonice, Vangia doctus in Vrbe,  
 Sed iuuenis cathedram sedit Apostolicam.  
 At binos annos, & menses circiter octo,  
 Ter senos Februo connumerante dies.  
 Pauperibus diues, per singula Sabbatha vestes,  
 Dimisit numero cinctus Apostolico.  
 Vfus Francisca vulgari, & voce Latina  
 Instituit populos eloquio triplici.  
 Tertius Octavo sibi Petri commisit otule,  
 Cognatis manibus tritus in Imperium.  
 Exiit & postquam terrena vincula carnis,  
 Aequinoctio dextro substituit lateri.  
 Decessit xij. Calend. Martij.

## ANNOTATIO.

GREGORII quinti, qui antea Bruno vocabatur, monachatum solus Tritemius noster de vir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 224. probat, sic inquit: Bruno monachus Corbeienſis in Saxonia, frater Ducis Hermannii, & postea Episcopus Verdenſis, vir tam Ecclesiasticis, quam monasticis disciplinis nobiliter imbutus, dignum se moribus, & doctrina nouit exhibere Pontificem. Claruit sub Ottone I. anno 960. Hunc autem Brunonem esse qui ex Episcopo Verdenſi 16. Gregorius V. dictus est, docent familia Vuirichindeſ Saxonicæ scriptores, quorum primus occurrit nobis Philibertus Pingonius, qui in Arbore Sabaudica gradu 12. sic ait: Bruno, Othonis Ducis Sueuiæ filius, primum fuit Episcopus Verdenſis in Saxonia. Tum anno CMXCV. effectus Pontifex Maximus, dictusque Gregorius V. expulsus à Ioanne quodam, fauente Crescentio, inde ab Othone III. Cæsare restitutus, sanctionem illam tulit, de imperatoria electione per septem viros. Restitutus, sedit annis duobus, mensibus quinque, diem clausit statim post Othonis abitum ab vrbe, obitum que, anno MII. mense Februario. Sepultus in Vaticano. Hinc accedit auctor genealogie Regum, & Ducum Saxonie, secundi, & tertij regni in quarta monarchia, cuius verba sunt: Bruno, Episcopus Verdenſis XVI. fundator monasterij Oldenſtadenſis. circa Vlyſſeam, quæ antiquitus Louenuoldi dicta est, electus ab Ottone anno Christi 994. pulsus Roma à

Crescentio, sed ab Imperatore restitutus est, qui Crescētium Alano  
 impositum facie uersus posteriora iumentis respiciente, & circum-  
 ductum per urbem, laceratum que, cum duodecim seditionis con-  
 scis suspendi, ac Ioannem Placentinum Papam, oculis priuatum ex-  
 clare mandauit; obiit Romæ 27. Maii (aliàs 2. Nonas Februarij;  
 & 12. calend. Martij) anno Christi 996. aliàs 998. non sine uentis  
 suspitione, sepultus in Basilica Sancti Petri, sub tali epitaphio, &c.  
*In eandem quoque sententiã loquitur Basilici genealogici cõpilator, sicut  
 Brunone, Episcopo Verdensi, fundatore cœnobij Oldenstadenis  
 circa Vlyseam: qui ab agnato Othone III. Imp. Pontifex inaugu-  
 ratus, Gregorij V. nomen assumpsit A.C. 994. Pontificatu per Cres-  
 centium Cos. exactus, in Germaniam ad Imp. confugit; à quo re-  
 stitutum, cum ipso Collegium Electorum constituisse refertur.  
 Obit Romæ 12. Calend. Martij, anno Christiano duodemillesimo,  
 non absque ueneni suspitione. Sepultus in Basilica D. Petri,  
 Cum igitur ordinem Episcopatus teneamus, uidelicet sextumdecimum,  
 qui & confirmatur à Crantzio in metropoli, & Demochare de sancti  
 Missè tomo 2. c. 35. nomenq; Brunonis, in Gregorium V. mutat; in  
 nibus concordet, & tempora quibus floruit exactè concurrant, omnino  
 fatendum est illum esse, qui ex monacho Corbeig, Verdensis, & ex Ver-  
 densi, Romanus Episcopus factus est. Duo nempe soli Brunones, anteq̃  
 monachi, illi sedi presuisse leguntur, & secundus quidem, qui monachus,  
 & Abbas Nuenburgensts, & Magdeburgensts fuisse scribitur à Trit-  
 temio lib. 4. c. 239. floruisseq; anno 1030. siue ut Demochares habet &  
 rectius, anno 1030. uel circiter, cum excludatur, necessariã hunc  
 numm Brunonem nostrum, & non in alium fors ipsa cadit. Nec obli-  
 quod Trittemius dicat floruisse anno 960. cum illud fecerit deceptus et  
 eo, quod fratrem Hermanni Saxonie Ducis, ex Billingorum familia  
 mi, qui eo tempore Othonis I. Imp. scilicet uiebat, crediderit, in quo no-  
 men corrigendus est, cum non ipse, sed Amelungus, qui Brunonem in  
 Episcopatu præcessit, illius Hermanni frater fuerit, ut rectè annotat  
 Crantzius in metropoli, lib. 3. c. 19. Quod à Trittemio, & Crantzio, as-  
 sumptio eius in Pontificem retineatur, seu potius ignoretur, nihil refert, cum  
 nec ex Platina, & diligenti Panuino, alijsq; qui de Pontificibus scripserunt,  
 cuius conditionis hic Bruno ante Pontificatum fuerit penitus nesciamus,  
 ob mala tempora in que incidit ipse Pontifex, & seculum penitus in-  
 stum, exhaustum hominibus ingenio, & doctrina claris, in quo nihil  
 dignum memoria posteritatis scriptum est: siue, ut sepius dixi, ab  
 chismi emulationem, scientes namq; nullos alios Brunones Ferd. præ-*

se quam Monachos, ne tantus vir, ex Monachorum schola prodijisse agnosceretur, etiam & titulum Episcopatus transferunt, ut hæc laus à Monachis Benedictinis auferretur. Et hæc pro monachismi eius confirmatione dicta sint. Institutionem Electorum conatur reprobare Panuinus, in libro de Comitibus Imperatoris, sed cum eius opinionem, & aliorum, relictissimè, & optinè confutet R.D. Robertus Bellarminus in illis tribus libris, quos de Translatione Imperij composuit, ad illos benignum Lectorem remittimus.

Pag. 151.

lin. 8. uersibus) adde; item, & prosa Passionem S. Erasmi Episcopi, & Martyris, lib. 1. Cuius prologus sic incipit; Domino in domino dilectissimo Ioanni, auunculo suo Ioannes Subdiaconus, & Monachus Casinensis canobij. Passio uero sic; Cum Numerianus, Cæsi Narbonensis filius, &c. est MS. Casini.

Pag. 176.

lin. 26. epitome.) adde: Nonnus Galfridus, siue Galfredus, alias Gausfredus Britannus, cognomento Arthurus, monachus Benedictinus Monemuthensis, uir doctus, & in Ecclesiasticis exercitatus, ob doctrinæ sapientiam, morumque honestatem à S. Agathone Papa (ut ego coniecio) Cardinalis S.R.E. renunciatus, dignitatem illam scriptis suis non modicum illustrauit; Scripsit namque

De rebus Britannicis, li. 10. excusos Lugduni 1587. in fol.

Prædictionum Ambrosii Merlini, lib. 1.

Vaticiniorum Merlini Chalcedonii, lib. 1.

De uita Arthuri Britannicæ Regis, lib. 1.

Breuiarium Gildæ: Diuersi generis carminum, lib. 1.

Floruit anno Domini 689. & quod excurrit.

#### ANNOTATIO.

De eius monachatu, sub regula Diui Benedicti, agit Catalogus Scriptorum Britannicæ, Cardinalatum accepimus, ex eius libris de rebus Britannicis qui impressi sunt Lugduni apud Renatum Potelerium an. 1587. in folio; hoc titulo, Galfredi Monemuthensis, Cardinalis, Historia Regum Britannicæ, lib. 10. A rebus gestis Arthuri Regis, quas ipse composuit, cognomen tum sibi Arthuri promeruit.

Pag. 180.

lin. 3. tituli.) adde. S. Mariæ in Dominica, à Nicolao Papa II. anno.

Pag.

Pag. 217.

lin.ultima Cauenses) adde. A N N O T A T I O.

Quo autem tempore claruerint hi tres Rossemannus, Petrus, & Ioannes, ex tabulis Cauensibus non reperimus, si quid tamen coniectura consequi possemus, dicerem Rossemannum hunc illum esse, qui in uita S. Constantis Abbatis, cap. 10. memoratur, uocaturq; Rossemannus, Prior Cauensis, & deinde Pausitanensis Abbas: Joannem uero eundem etiam esse qui cap. 12. eiusdem uite, Abbas S. Benedicti nominatur; quod si ita esset eorum creatio ad Paschalem I. T. Papam, esset referenda. (De Petro quod proferam non habeo.)

Pag. 227.

lin. 25. MS.) adde. Patriarcha Aquilegiensis.

D. Fridericus Caroli Calui, Imp. filius (sive, ut nonnulli, sed minus rectè, habent, Fortunatus, Regis Hungariæ filius) monachus Fuldenis in Germania, ordinis S. Ben. congreg. Luxouensis, ob uitæ integritatem, & sanctitatem, Patriarcha Aquilegiensis, anno 884. renunciatus, sanctissimè presuit annis 13, obiitque anno 897. Hic ille est ad quem priuilegium Conceptionis B. Mariæ institutio refertur. Dionysius Carthusianus in serm. de Concept. B. Mariæ; & F. Franciscus Tuannes Hispanus in compendio de uir. ill. Ord. S. Bened. & alij nonnulli, de monachatu, regio genere, & Patriarchatu, tacito tamen nomine; quod nobis subministrarunt Tabula Patriarcharum Aquilegiensium, & Panvinus in chron. ecclesiastico. Errant qui Fortunatum, filiumq; Regis Hungariæ agnoscunt, cum eo tempore Hungaria, sive Pannonia, nondum Reges haberet; et in tabulis Patriarcharum eius nominis nullus reperitur.

lin. 25.

Gradenfes) adde: D. Antonius Patauinus, monachus, & Abbas monasteri S. Trinitatis (sive ut alij habent S. Angeli) de Brondolo, non longe à Clusia, Patriarcha electus, an. D. circiter 717. cultum diuinum mirabiliter promouit in Ecclesia sua, quam & illibatam ab hæreseon erroribus conseruauit, ut quidam, &c.

Pag. 228.

lin. 9. cap. 3.) adde: D. Gilbertus Genebrardus, Gallus, ut ex scriptis eius conicio Aruernus, prouinciam enim illam, suam semper uocat, monachus ordinis Diui Benedicti, congregationis Cluniacensis, Sacræ Theologiæ Doctor, & Hebrai-

braicarum litterarum in Vniuersitate Parisiensi professor  
Regius, uir nostri seculi doctissimus, & hereticorum pro-  
pugnator acerrimus, cum sapientia, & zeli sui specimen  
magnum dedisset, à Gregorio Papa XIII. Aquensis Ar-  
chiepiscopus renunciatus, uix hæcenus pacificè, propter  
emulorum suorum potentiam, populo suo præesse potuit,  
& utrum adhuc præsideat ignoro. Scripsit intra alia, com-  
mentarios egregios

Super Psalmos, qui excusi sunt Parisijs, in 4.

Notas Chronica, siue ad Chronologiam, & uniuersam  
historiam Methodum; quæ excusa est Parisijs.

Chronographiæ à principio mundi, li. 4. qui excusi sunt  
Coloniae apud Gymnicum, anno 1581. in 8. & Pari-  
sijs auctiores, anno 1580. & 1585. in fol.

Transulit & de Hebræo in Latinum, Chronologiam  
Hebræorum maiorem, quæ Seder Olam Rabba in-  
scribitur. & Minorem, quæ Seder Olam Zuta: mul-  
tosq; alios Rabbiorum tractatus; qui omnes simul  
cum libris. 4. Chronographiæ, excusi sunt Parisijs, an-  
nis 1580. & 1585. in fol.

Huius operis Chronographiæ, & aliorum, egregium iu-  
dicium profert R. P. D. Antonius Possenus, in Bibliot.

Selecta lib. 2. c. 26. ad quem Lectorem remitto.

Alia multa scripsisse, scribere que fertur, sed illa ad ma-  
nus meas non peruenerunt. Miror equidem tantum vi-  
rum, si reuera professionem monasticam emiseric, illam li-  
bris suis non apposuisse, cum exinde nihil, nisi honorificum  
illi accedere poterat, ideoque non sine rationabili causa  
dubitamus, Monachus fuerit, necne: fuisse tamen didici-  
mus relatione duorum monachorum Ordinis S. Benedicti,  
D. Gulielmi Simonini, scilicet, Burgundi Poligianensis, I. V.  
Doctores, & monachi S. Vincentii Bisuntinensis: & D. Pe-  
tti de Binan Burgundi, monachi monasterij Balmensis iux-  
ta Polignium in comitatu Burgundiæ.

lin. 35. Cauentes adde: quæ quamuis tempus quo floruerit non ex-  
plicent, arbitror tamen eum esse, qui in translatione S. Nico-  
lai, a Ioanne Archidiacono Barenfi composita, cap. 14. &  
16. uocatur Abbas S. Benedicti supra portum, ubi colloca-  
ta sunt reliquiæ eiusdem sancti anno 1087.

Pag.

Pag. 233.

lin. 9. sepultus est; ] *adde*; Scripsit, De obseruatione Paschæ, lib. 1.

Pag. 246.

lin. 11. Octobris; ] *adde*; Scripsit ex antiquorum libris pro suis  
Quartadecimanis, lib. 1.

Pag. 248.

lin. 33. polum) *adde*. Scripsit de uita S. Hugonis Abbatis, lib. 1.

Pag. 258.

lin. 22. & 47. ] *adde*; 33. S. Fulco, monachus monasterii S. Bertini, quod  
erat in oppido Audomarensi, loco Sithiu dicto, post Hinc-  
marum Archiepiscopus Remensis 33. creatus anno 890.  
præfuit sanctissimè annis 10. & mensibus aliquot; & tan-  
dem pro libertate Ecclesiastica tuenda, à Vuinomaro Flan-  
driæ Comitis beneficiario, crudeliter occisus, martyrii co-  
ronam accepit anno Domini 900. die 15. Calendas Iulii.  
*Henricus Costerius Antuerpiæ Pastor, in Arbore Bertinica.*

Pag. 264.

lin. 7. Cosmographia] *adde* 31. Cunradus II. Lupoldi Pii Austria  
Marchionis filius, monachus primum, deinde Abbas mo-  
nasterii S. Crucis in Austria, postmodum Pataviensis Epi-  
scopus 39. mortuo Eberhardo, anno 1164. tertio Cal. Iu-  
lii ad hanc sedem translatus, & consecratus, & ab Alexan-  
dro III. pallio donatus; post quinque ferè regiminis annos  
obiit 1168. die 4. cal. Octobris, sepultus in Admontensi mo-  
nasterio ante Altare S. Andreae. *Metrop. Salisburgensis.*

Pag. 266.

lin. 16. & 42. ] *adde*: 47. D. Ioannes Siculus, monachus Benedic-  
tinus, & deinde ob morum sanctitatem, & grauitatem Ar-  
chiepiscopus Syracusanus 47. cum esset Summo Pontifici  
gratus, ab eodem Pallium postulauit, & imperauit. *Ex ca-  
talogo Archiep. Syracusanorum ex Sicilia transmissio.*

Pag. 267.

lin. 28. latus.) *adde*. Scripsit annuente Rege, Sacrorum, & religionis  
statum concernentia, lib. 1.

Pag. 268.

lin. 26. & alii) *adde*: 50. S. Clodulphus, Dux Austrasiæ Mosellani-  
cæ, & S. Arnulphi Episcopi Metensis filius; post annum in  
Ducatu peractum 42. anno Domini 650. uxoris Amalber-  
tæ, siue Mariæ, quæ uitam monasticam ipso hortante in mo-  
nasterio



monasterio S. Mariæ Treuiris amplexa fuerat, consensu, abdicat, Monachumque induit in monasterio S. Maximini, in ciuitate Treuirensi, in quo ita conuersatus est, vt non longè post in communem Pastorem Metensium ciuitatis omnium acclamatione fuerit electus anno Domini 666. Quod munus cum annis 26. strenuissime administrasset, à Treuirensibus reuocatus, eidem Ecclesiæ præsidere coactus est anno 692. Sed cum eius sanctitas, zelusque Diuinus, Carolo Martello Aula præfecto ingrati essent, à sede sua vñdecimo sessionis anno pulsus, exulare coactus est, quodam Milone mercenario in eius locum intrato. Quam iniuriam cum exemplo primi pastoris, bonus ipse pastor, patienter tulisset, ad suos Metenses reuersus, ibidem in monasterio S. Arnulphi quinto exilii sui an. Christi Domini 708. ætatis 100. defunctus, apud citeres patrios sepultus est, die 8. mensis Iunij. Postmodum verò anno 969. die 6. Septembris, ab ecclesia illa translatus, in Ecclesia Laudunensi non longè à Nanceio Lotharingiæ, digno est honore reconditus.

## ANNOTATIO.

Adeo confusa sunt huius Pontificis, Patrisque eius, & omnium Treuirensium Presulum, tempora, ut rix aliquid certi de eis defini possit, Nonnulli namque, vt Baronius, & Rosieres, Arnulphum defunctum volunt anno 640. uel 641. alij ut Cratepolius, anno 656. & de Clodulpho eadem imo & maior est difficultas, alij anno 673. ut tenet Rosieres, sed ambigunt, nunc enim dicit obiisse anno 673. nunc uerò illo anno tantum abdicasse; alij 718. ætatis sue 100. mortuum asserentibus: & huius opinionis est Vuassemburgius in eius vita, quæ adfertur à Renato Benedicto in uita SS. Gallie. Sed cum ibidem narret S. Arnulphum eius patrem monachum factum anno 616. eius opinio subsistere non potest, cum nequaquam credendum sit S. Arnulphum post duos in religione peractos annos, Clodulphum genuisse, quod dicere esset impium, & tamen id fatendum foret, si præfato anno 718. ætatis 100. mortuum concederemus. De annis nempe Episcopatus non minor est controuersia, Demochare, et alij annos 11. Vuassemburgio uerò 42. & dies 25. sedisse affirmantibus. Nec quotus in ordine fuerit Archiepiscopus inter se conueniunt, cum 50. scribatur fuisse à Rosierio, a Vuassemburgio uerò 58. Quæ omnia quamuis uires nostras excedant, iudicioque maturo, & sano indigeant, dicemus tamen quid super his sentiamus, feliciterque omnia succedent si annum 718. à Vuassemburgio morti eius assignatum, in annum 708. decem detractis commutemus. Dicit enim Vuassemburgius obiisse anno ætatis 100. successisse autem Patri anno 616. compleuisseque, in Episcopatu annos 42. Si autem ut dicit,

dicit, est mortuus anno Christi 718. ætatis 100. nequaquam potuit patri succedere anno 616. cum nondum natus esset. Dicamus ergo Clodulphum natum anno Domini 608. successisse in regimine patri suo anno 616. ætatis sue 8. Ducatum administrasse annis 42. resignasse, ut Monachus fieret anno 650. Metensem Episcopum ascendisse anno 666. religionis assumptæ 16. eidem præfuisse annis 26. tot namq; illi tribuendi, & non pauciores si duæ Aera annorum infallibiles duobus Episcopis Metensibus Goerico, & Drogoni ab historicis fide dignis notatæ, ueræ sint, nequæ annus 638. Goerico, & 823. Drogoni; nam anni Episcopis intermedium à Demochare attribui aliter subsistere non possunt, quod ut facilius capiatur hic catalogum inseremus:

Incepit.	S. Goericus Albo, sedit	annos, 18
556.	Godeus	an. 10
666.	Clodulphus monachus	an. 26
692.	Albo	an. 12
704.	Aptades	an. 13
717.	Felix secundus	an. 9
726.	Sigibaldus monachus	an. 25
751.	S. Godegrandus	an. 33
784.	Angelranus	an. 33
817.	Gundulphus	an. 6

823. Drogo Caroli Magni filius monach. an. 2. obiit 855. quod autem dicatur à Demochare Drogo incepisse anno 841. fratre suo Ludonico Pio Imperatore iam defuncto, ueritati subnixum non est, cum ut in eius uita legitur, Drogo Episcopatum administrauerit annis multis fratre suo uiuente; concedendum igitur Clodulphum præfuisse Episcopatu Metensi annis 26. deinde ad Treuirensis Ecclesiam transisse anno 792. in ea sedisse annos 11. qui non recte à Demochare, & alijs intellecti regimini Metensi attribuntur: exilio damnatum anno 703. & eius anno quinto, (qui omnes simul coniuncti, uidelicet 26. 11. & 5. annos 42. à Vuassemburgio notatos efficiunt) ex hac uita anno Christi 708. ætatis sue 100. migrasse; Sedisseq; Treuiris loco quinquagesimo, non autem quinquagesimo octauo, nam nequaquam putandum Sanctum Basinum Clodulphi filium, qui quinquagesimus sextus Episcopus ab omnibus agnoscitur, Patrem in Episcopatu præcessisse. Et hoc de coniectura nostra circa annorum S. Clodulphi uarietatem, quæ ex transpositione numerorum acciderat, facile enim labitur numerus 708. in 718. dicta sufficiant. Et ad hanc nostram ultimam correctionem reducenda erunt quæcumque in superioribus, de annis SS. Arnulphi, Clodulphi, & Basini & aliorum, Epi.

*Episcoporum Treuivensium aliter fortassis diximus. De annis Rosierij, tam patris Arnulphi, quam Clodulphi filij nil loquor, cum sibi ipsi non constet.*

Pag. 270.

lin. 28. MS.) adde. D. Herbernus, monachus, & Abbas maioris monasterii S. Martini, Turonis, & deinde Archiepiscopus Turonensis, scripsit,

De laudibus S. Martini Episcopi, lib. 1.

Quo tempore claruerit ignoro, cum Molanus in martyro suo ad diem 11. Novembris, ex quo hæc desumpsi illud, minime explicet: & ideo videndum fuerit ut idem cum præcedenti.

Pag. 277.

lin. 22. S. Petri, ) adde. S. Petrus, ex monastica observantia, ad Episcopatum Anagninum euectus, in omni sanctitate præfuit, & miraculis clarus, obdormiit in Domino die tertio Augusti. *Baronius in Martyrologio.*

lin. 32. & alij, ) adde 14. S. Licinius, Varnetii Burgundiæ Comitis filius, a prima iuventute aulam Clotharii Regis secutus, ab eodem Comitatu (hos antiquitas Gubernatores uocabat) Andeganensi donatus est, & deinde Magister Equitum, siue palatii constitutus, sed cum ei omnis mundana pompa uilesceret, officio, & amplissimis opibus quibus abundabat abdicatis, ut pauper ipse pauperem Christum sequeretur, in monasterio Cincillacensi, siue ut exemplar habet, sed corruptè, Colonerensi, se inclusit: in quo ita breui omnis perfectionis monasticæ culmen arripuit, ut & monachis ipsis, & proprio ciuitatis Episcopo Audeno mirabilis redderetur. Vnde post Episcopi mortem, totius populi electione, quamuis inuitus, Andegauensis 14. Episcopus acclamatus anno 586. eodem die 21. Iunii consecratus est. Et completis in Episcopatu annis 45. mensibus 4. & diebus 12. miraculorum gloria clarus obiit anno 631. ipsis Calendis Novembris, & in monasterio S. Ioannis Baptistæ Andegauis, quod ipse construxerat, digno est honore reconditus. Eius tamen Festiuitas plenius recolitur die 13. Februarii, quando à Papa Vitaliano anno 664. in sanctorum numerum relatus est. *Franciscus Grandinus, ecclesie Andegauensis Pastor in eius vita, quæ adfertur à Renato Benedicto in uitis SS. Gallie die 13. Februarij.*

15. s. Agno-

15. S. Magnobodus, siue Magnobonus, Andegauensis, monachus & Abbas Cincillacensis, siue, Colonetenſis apud Andegauum, in locum S. Licinii Episcopus Andegauensis ob uitæ sanctitatem electus, cum annis aliquot populum suum uerbo & exemplo pauisset, miraculis clarus migravit ad Dominum die 16. Octobris. *Renatus Benedictus in eius uita ex annalibus ecclesiæ Andegauensis, quam adfert loco citato.*

Pag. 278.

lin. 18. cosmographia, ) adde 31. D. Claudius Clemens, Scorus, Bedæ Venerabilis discipulus, & Alcuini Abbatis & Leuitæ in fundanda Accademia Parisiensi collega, ob sapientiæ doctrinam in ultima senectute, anno 761. (si recte annorum Democharis series inita est, alioquin multo serius creatur legitur) Episcopus 31. Antisiodorensis creatus, præfuit laudabiliter annis 5. mense 1. & diebus 10. obiit anno 766. die 13. Calendas Aprilis. Scripsit dum uixit multa insignia opera, inter quæ feruntur,

In quinque libros Moysi, lib. 5.

In Iosue, lib. 1.

In Iudicum, lib. 1.

In Ruth, lib. 1.

In Psalterium, lib. 1.

In Matthæum, de Euangelistarum cõcordia, lib. 1.

In Epistolas Pauli Commentarij sunt MS. Casini, sub nomine item Claudij Episcopi Antisiodori, littera Longobarda, scamno 5. ad sinistram.

Summa uerò eius, & Commentarij in Epistolam ad Galatas. Excusi sunt Parisiis an. 1542. sub eius nomine.

*De Monachatu agunt Tritemius de script. Eccles. lib. 2. de vir. ill. ord. S. Bened. c. 28. Sixtus Senensis Bib. lib. 4. & alij infiniti, de quo & Bibliotheca Philosophorum, in qua agitur de Episcopatu.*

Pag. 282.

lin. 7. lib. 1. ] adde: D. Laurentius Anglus, monachus monasterij S. Martini de bello in Anglia, deinde Pœnitentiarius S. D. N. Papæ Auinione: postremò Afaphensis Episcopus; obiit anno 1390. *Thomas Valsinghamius in hist. breuij ad an. 1390.*

lin. 27. lib. 5. adde] 67. D. N. monachus, & Abbas Ponteniacensis, factus est Episcopus Atrebatensis, anno 1185. vt uult

Robe-

*Robertus de Monte in appendice ; ad Sigebertum ad illum annum .*

Pag. 293 .

lin. 11. inserti sunt] *adde* : 36. S. Hartmannus, Germanus Patauiensis Bauarus, primo Canonicus S. Augustini ; postea monachus, & Abbas monasterij S. Perri Salisburgensis ; itemque Neuburgensis cœnobij in ripa Danubij fluminis : postremò ob vitæ sanctimoniam Episcopus Brixinensis consecratus est anno 1142. cui Ecclesiæ præfuit annis 23. obiitque sanctitate, & miraculis clarus 10. cal. Ianuarii, an. 1165. *Metrop. Salisburgensis .*

Pag. 301 .

lin. 36. sepultus est] *adde* : Scripsit De septem Artibus liberalibus, lib. 1. Vocabularium lingue latinæ, lib. 1. Dictionarium item : cuius exempla referuatur Constantiæ, & in monasterio S. Galli .

*Tritemius de de script. Germaniæ, qui claruisse refert anno 850. & quod excurret in quo corrigendi sunt nonnulli, qui anno 1350. eum reponunt, cum illo tempore nullus huius nominis in catalogo Episcoporum Constantiensium reperitur ; ut auctores sunt . Demochares de sacrif. missæ Tomo 2. cap. 35. Franciscus Belforestius in Cosmographia Uniuersalis Tomo secundo, & alij multi .*

Pag. 311 .

lin. 29. cap. XL. ) *adde* : Eduenses in Burgundia, Dominus Petrus Saunier, monachus monasterij Caroliloci (alterius ab illo quod est ordinis Cisterciensis) Congregationis Cluniacensis, Iuris vtriusque Doctor, viuit nunc Eduensis Archiepiscopus .

Pag. 327 .

lin. 26. Martij] *adde* ; S. Goluenus Brito, ibidemque monachus, & postmodum Eremita, S. Paulo ad pactes apposito, Leonensis Episcopus creatus, post multos pro grege suo perpeffos labores, premium eorundem percepturus migravit in cœlum, post annum 600. die primo Iulij, & in numerum Sanctorum relatus est. *Eius vita apud Renatum Benedictum .*

pag. 328 .

lin. 5. Pentateuchum) *adde* : D. Anna de Giury, Ill. Cardinalis de G G g Giury

Giury pronepos ex sorore, Gallus, monachus professor, & Abbas monasterii S. Benigni Diuionensis, in Burgundia; & deinde ob uitæ meritum à Gregorio Papa XIII. Episcopus Lexouienfis factus; supra gregem sibi commillum inuigilans, ad hæc vsque tempora perdurat: nihil enim adhuc de eius morte ad me relatum.

Pag. 329.

lin. 13. anno . . . ) adde, 1110. Scripsit eleganti metro, de capione cœnobii Casinenfis, librum vnum.

Pag. 338.

lin. 4. omittitur) adde, 36. D. Sigebaldus, monachus Ordinis D. Benedicti, & deinde Episcopus Metensis 36. creatus (ut ego conicio ex annorum ratione) anno Christi 726. præfuit annis 25. & monasterium Neuyler Ordinis nostri cõstruxit; obiit anno 751. *Franciscus frenicus lib. 12. Germania exregios de Monachatu, & Episcopatu.*

Pag. 340.

lin. 33. Tomo 4.) adde, 7. S. Erxembodo, siue Erbrenobo, monachus & Abbas monasterij S. Bertini Sithiuensis, deinde Episcopus Morinorum septimus; cum aliquot annis officium suum digne administrasset, miraculis clarus obiit anno 744. die 12. Aprilis. *Henricus Costerius in arbore Bertinica, & alij in Martyrologio nostra notati.*

Pag. 342.

lin. 7. Lerineses ) adde: Nicopolitani in Græcia.

D. Ioannes Dorotheus, Gallus, Monachus & Prior S. Marie Valensis, seu de valle, cong. Cluniacensis. I. V. Doctor, & in Academia Dolensi professor primarius, factus Episcopus Nicopolitanus, & Suffraganeus Archiepiscopi Bisuntini, ac Vicarius generalis Cardinalium Granuellani, & Lotharingi; adhuc superest.

Pag. 346.

lin. 12. 242.) adde 39. Conradus II. Leopoldi Pii, Marchionis Austriæ filius, & Ottonis Episcopi Frisingensis Germanus frater, ex monacho, & Abbate S. Crucis Austriæ, Episcopus creatus anno 1148. præfuit annis 16. & translatus ad Metropolitanam Salisburgensem, anno 1168. obiit die quarto, Calen. Octobris, sepultus in cœnobio Admontensi. *Metrop. Salisburgensi.*

43. Poppo, Aquilegiensis Ecclesie in foro Iulii Præpositus, & deinde cuiusdam cœnobii Benedictini monachus & Abbas, Vuolfgero Episcopo Aquilegiam translato, in sede Patauiensi substituitur anno 1204. Præfuit per unius anni & sex mensium breue spatium; obiit 7. Cal. Ianuarii, anno salutis 1206. *Metropolis.*
44. Manegoldus, Comes Bergensis, monachus, & Abbas cœnobii Cremphanensis, deinde etiam S. Quirini ad lacum Tigorinum superioris Bavarie; tandem Patauiensis Episcopus creatur anno 1206. in Popponis locum. Præfuit annis 9; obiitque anno 1215. quinto Idus Maii. *Metropoli Salisburgensis.*
- Pag. 349.  
lin. 30. 220.) adde 3. Adaluinus, Abbas S. Emerani Ratisponæ, & Episcopus 3. creatus an. 790. sedit annos 26. sedem Episcopalem de monasterio s. Emerani, transtulit in ciuitatem, in Ecclesiam S. Stephani Protomartyris. Interfuit conciliis Ratispanensi anno 792. in quo Felicianæ hæresis damnata est; & Salisburgensi anno 806. in quo de soluendis decimis actum, iussu Caroli Magni celebratis. Obiit anno 814. & in monasterio S. Emerani cum suis prædecessoribus sepultus. *Vuiguleus Hund in metropoli Salisburgensi.*
7. Aspertus, qui & Isbertus, è Monacho S. Emerani Episcopus creatus anno 886. fuit in Episcopatu annis 4. & moriens sepultus est in monasterio suo. *Metropolis Salisburgensis.* Ponatur hic Sanctus Tuto, qui creatus anno 891. præfuit annis 36.
11. Gūtharius, monachus S. Emerani, creatur Episcopus an. 938. diuino oraculo, præfuit tantum 30. hebdomadibus, & sepultus est in cœnobio suo. *Metrop. Salisburgensis.* Ponatur hic S. Vuolfgangus: Nihil agitur de Brunone.
- Pag. 350.  
lin. 25. Archiepiscopo) adde. D. Marbodus, Anglus, monachus monasterii S. Albini Andegauensis, & deinde ob insignem doctrinam Rhedonensis Episcopus, quem Tritemius noster uixisse refert anno 1050. alii 1123. uel 1150. doctrine sue nonnulla monumenta tam carmine, quam prosa posteris reliquit: uidelicet

In Cantica Canticorum, lib. 1. Epigrammatum, lib. 1.  
 De Passione Thebæorum martyrum, metricè, lib. 1.  
 De lapidibus, & unionibus preciosis, lib. 1. qui excusus  
 est Francofurti, cum commentis cuiusdam,  
 De uita S. Magnobodi Episcopi Andegauensis, lib. 1.  
 Hic adfertur a Renato Benedicto in uitis SS. Gallie, Galli-  
 cè, quam transtulit Paschalis Robinus, Dominus du Fan-  
 Obiit tandem Andegauis, & in monasterio suo sepultus  
 est, cum insigni Epitaphio a D. Ogierio 44. Andegauensi  
 Episcopo composito. *De monachatu agit præfatus Ren-  
 tus; de Episcopatu alij omnes.*

Pag. 351.

lin. 20. c. 171.) adde: D. Hernoftus, Gallus, monachus Becensis, ordi-  
 natus Episcopus a S. Lanfranco, eodem anno mortuus est  
 D. Gundulphus, Gallus, eiusdem monasterii Becensis  
 monachus, Hernofto surrogatus ab eodem Lanfranco, per-  
 durauit usque ad tempora Henrici Regis. *Matthæus Parisius  
 in hist. maiori ad annum 1089. de his duobus.*

Pag. 358.

lin. 7. demonstrant.) adde: item de Virginitate, lib. 1. excusum Romæ  
 1584. in 8.

Pag. 359.

lin. 29. uersantur: ) adde: uidelicet,  
 De Passione S. Restitute Virginis, lib. 1.  
 De Passione SS. Casti, & Cassij, lib. 1.  
 De uita S. Geraldii Episcopi, & conf. lib. 1.  
 De iisdem, hymnos, officium, & cantus.  
 De Assumptione B. Mariæ, Homil. 1.  
 De captione Hierosolymæ, & transitu peregrinorum  
 ad terram sanctam, rogatu Berardi Balnensis Episco-  
 pi, uersibus, lib. 1.  
 Poematum, de SS. Iona propheta; Andrea Apostolo;  
 Dedicatione Ecclesiarum: & festiuitate Paschalis, lib. 1.  
 Et alia nonnulla, quorum titulos necdum uidi. Me-  
 tuus sepultus est apud Ecclesiam Pipirnsensem.

Pag. 368.

lin. 21. & alii.) adde: *Vapincenses in Delphinatu sub Archiepiscopo  
 Arelatensi.* S. Arnulphus, Gallus, monachus monaste-  
 rii S. Trinitatis Vendomiensis, sub cura S. Odorici, primi  
 linc.



lius loci Abbatis, tanta sanctitate suo tempore resplenduit, ut Romā ab Alex. Papa II. euocatus fuerit, & insuper Ecclesie Vapincensi prælatus. Miraculis clarus obiit die 19 Septembris. *Renatus Benedictus in eius vita, in vitis SS. Gallie.*

Pag. 375.

lin. 21. prægrandi: ) adde. *Vrgellenses in Hispania, sub Archiepiscopo Tarraconensi.*

Radulphus, Hispanus, Iamfredi II. Pilosi, Barcinonæ Comititis filius, monachus & primus Abbas monasterii S. Mariæ Riuopulli, quod eius pater a fundamentis erexerat an. Domini 888. deinde Vrgellensis Epif. factus, in ea potestate obiit. *Franciscus Tarapha de regib. Hisp. in Alphonso Rege.*

Pag. 397.

lin. 1. Areopagitam ) adde; D. Absolon, monachus & Abbas monasterii Sprinxirbatensis, scripsit non ineleganter sermones astiuales, quos excudit Gymnicus Coloniae an. 1534. in folio.

lin. 32. tensem MSS.) adde; D. Adrianus Neapolitanus Amaltea, monachus cœnobii S. Scuerini Neapolis, I. V. Doctor, scripsit Rotam, siue Calculum Astronomicum perpetuum iuxta Gregorianam correctionem: qui impressus est Brixie, apud Sabium 1593.

Et alia multa, tam in casibus conscientie, quam in sacris, quæ morte præuentus imperfecta reliquit; obiit 1592. in monasterio SS. Faustini & Louita Brixie.

Pag. 399.

lin. 6. lib. 1. ) adde; F. Albertus, Germanus, Sigebergerensis monasterii apud Coloniā monachus, scripsit Glossas in uetus & nouum testamentum.

D. Alexander, Essebiensis monachus, Anglus, carmine excellens & prosa, anno Domini circiter 1360. scripsit

De sacris diebus, lib. 1. Epitomen Britannicæ historiae; li. 1.

De uita S. Bertellini Eremitæ, lib. 1.

De uita S. Cungi Eremite, lib. 1. Carminum, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Pag. 405.

lin. 26. 1593. ) adde; D. Bartholomæus Veronensis, monachus & Abbas monasterij S. Nicolai de Littore Venetiarum, cong. S. Iustinæ de Padua tunc incipientis, atque in Concilio Basiliensi

G G g g 3 leenli

leensi, & Florentino S. D. N. Eugenii Papæ III. in Illustris Venetiarum Dominio Collector, ac procurator, scripsit circa annum Domini 1440. ab ædificatione monasterii sui, usque ad sua tempora deductum, laboriosum opus, sed mira diligentia elaboratum, intitulatum,

Chron. monasterii S. Nicolai de littore; cuius initium est: Mirabilis Deus in sancto suo Benedicto, &c. referuntur MS. in archiuio monasterii præfati. Illud uero collectoris officium multo ante Abbatibus S. Nicolai concessum uidebatur, ut habetur memoria cum in scripturis antiquis ipsius monasterii, tum etiam in Epitaphio sequenti, pro maiori confirmatione hic apposito.

1355. Indict. 8. 20. Madij. Hic sepultum fuit, & iacet Venerabile, & Beatum corpus Reuerendi in Christo Patris N. D. D. Raimundi, olim Abbatis monasterij, S. Nicolai in littore Venetiarum, Apostolicæ Camere Nuntij, & Collectoris: cuius Anima in pace requiescat. Amen.

Pag. 406.

lin. 14. lib. 1.) adde; Exhortationes de eadem, lib. 1.

De suo priuilegio, lib. 1.

Pag. 407.

lin. 24. legi. MS.) adde; Ad Iustinianum præfectum classisque Legatos Concio egregia, tali exordio; *Magno meo dolore*. Hæc circumfertur in plurimorum manibus, sub nomine Alberti Corbatini.

Epigrammatum diuerso carminū genere, lib. 1. uidi MS. lin. 26. sepultus est) adde; D. Benedictus Luchinus, Mantuanus, monachus monasterii S. Benedicti de Padolyrone, & Abbas Gratiarum Diœcesis Placentinæ, Cong. Casinensis, qui etiamnum superest, scripsit vulgari idiomate.

Chronicon de gestis Matildæ, & ædificatione ac progressibus monasterij S. Benedicti, quod excusum est Mantuæ apud Franciscum Osanam, anno 1592. in 4.

De sacrorum à Monachis institutione Dialogos nonnullos Italicos, nondū excusos, quos referuat apud se MS.

Pag. 413.

lin. 11. exemplaribus) adde; D. Anna Pferingerin, Germana, sanctimonialis, & Abbatissa secunda monasterii Neuburgensis, electa anno 1444. scripsit uitam S. Hilarii Episcopi Germanica

manica lingua, ad Ludouicum Ducem Bauariae. Obiit anno 1451.

Pag. 411.

lin. 14. nihil uidi; ] adde. Item, De miraculis eiusdem, lib. 1.

Sermones de sanctis, lib. 1. Et alia nonnulla.

lin. 22. Tonis, lib. 1. ] adde; F. Conradus, Germanus, monachus & Prior cenobii Schyrensis in Bauaria, Cong. Cluniacensis, diligentissimus, & indefatigabilis innumerorum librorum scriptor, scripsit inter alia, Schyrensem historiam. Floruit anno Domini 1220. & quod excurrit.

Pag. 412.

lin. 1. Cap. LXV. ] adde. D. David Boys, Anglus, monachus Glocestris, Congr. Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1450. scripsit ad posterorum utilitatem,

De uariis gentium ritibus, lib. 1.

Aduersus Agarenorum insidias, lib. 1.

De uera innocentia, lib. 1.

De duplici hominis immortalitate, lib. 1.

De doctrina spiritus, lib. 1.

Concionum Christianarum, lib. 1.

Collegit quoque scripta Ioannis Baruyngam, ac Bibliotheca Cantabrigiensi imposuit.

lin. 9. in 4. ] adde. Item Epistolarum ad diuersos, lib. 1. in quo insertae leguntur Epistolae Maximi monachi Casinensis, 42. Iustini monachi, 1. Caesarii monachi, 1. Innocentij Monachi, 1. & Eucherij monachi, 1. vidi MS.

Annotationum in vitam S. Honorati Epif. lib. 1. vidi MS.

De causis naturalibus rerum occultatum, Dialogum, lib. 1.

Fuit natione Arelarensis. (alii Tarraconensem faciunt, sed male) cognomento Fancherius.

Pag. 414.

lin. 27. lib. 1. ] adde; In Psalmum Beati immaculati, commentarium prolixum. De articulis fidei. De Corpore Domini.

De Passione Domini, ac mysterio Crucis.

De gratia saluationis, & iustitia damnationis.

De libero arbitrio. De summo hominis bono.

De prouidentia Dei. De miraculis Christi.

De statu defunctorum. Super Euang. In principio.

Item alia plura Philosophica, Phisica, & moralia, quae extant

G G g g 4 in

in monasterio Admōtensi. Eius ad Othonem, & Albertum, Austriæ, & Styriæ Duces, De principis Christiani institutione liber, extabat Viennæ in Bibliotheca Laziana.

Liber eiusdem de Ortu, & fine Imperij Romani, impressus est Basileæ, an. D. 1553. in 8. sed prologus delendus, utpote qui ab quodam hæretico factus sit.

Floruit sub præfatis Ducibus, anno Domini circiter 1340.

Pag. 415.

lin. ult. versu] *adde.* De S. Ioanne Euangelista, carmen hæroicum.

De morte Innocentij, sue infanticidia, carmen hæroicū.

In diuam Ceciliam, carmen: Eiusdem nocturnum carmen.

Et alia multa, quorum titulos necdum uidi, nec legi.

Pag. 419.

lin. 3. sepultus est.) *adde.* D. Georgius, Germanus, monachus & Abbas Altaichensis in Bauaria, scripsit Chronica monasterij sui, quæ reseruantur ibidem MSS.

Pag. 420.

lin. 8. putarim) *adde.* E. Golscherus, Germanus, monachus S. Mathiæ, prope Treuirim, in declamandis homiliis ad populum probatæ industriæ; scripsit:

De laudibus S. Eucharii, primi Treuironum Episc. lib. 1.

De laudibus S. Valerii, lib. 1.

De laudibus S. Martini Episcopi, lib. 1.

Sermonum de laudibus sanctorum multorum, lib. 1.

Gesta Treuironum, lib. 1.

Et alia nonnulla nobis incognita.

Pag. 421.

lin. 3 5. Casinensis) *adde.* F. Gualscherus Bederycuorth, Anglus, Benedictinus, Cong. Cluniacensis, anno circiter 1360. scripsit Lecturas Scholasticas: & Conciones uulgares.

Pag. 442. lin. 10. in 16.) *adde.* F. Gulielmus Cantuariensis monachus, Cong. Cluniac. Anglus, qui uixit an. Domini 1190. & quod excurret; Scripsit

De uita & passione S. Thomæ Arch. & Mart. lib. 1.

De miraculis eiusdem, lib. 1.

De uisionibus post eius mortem, lib. 1.

Pag. 423.

lin. 7. lib. 1.) *adde.* D. Gulielmus Thorney, Anglus, Benedictinus, anno 1334. scripsit quorundam Sanctorum uitas.

lin.

lin. 30. recitantur) *adde*: nisi hæc sequentia, videlicet,  
Super quibusdam Bibliæ libris, commentaria non con-  
temnenda,

Sermonum, cantuum, hymnorum, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

In uaria scripturæ loca, tractatus multos.

Pag. 424.

lin. 19. lib. 1.) *adde*. D. Henricus Brandschaous, Anglus, monachus  
Benedictinus, anno 1346. uel circiter, scripsit Vitam S. Vuc-  
burgæ Virginis.

F. Henricus, Gallus, monachus S. Benedicti Cong. Lu-  
xouiensis, qui floruit sub Carolo Caluo Imp. scripsit

De uita S. Albani martyris uersus; qui adferuntur a Re-  
nato Benedicto in uitis SS. Gallia, in linguam Galli-  
cam translati.

lin. 26. lib. 1. *adde*. Henricus de Geilnhusen, Germanus, monachus

monasterii S. Martini Spanheimensis, cong. Bursfeldensis,  
qui obiit anno 1488. scripsit, ad Nouitios monasterii portæ

Mariæ, Ord. S. Vuilhelmi, longam & instructam epistolam,

De profectu & institutione spiritali, lib. 1.

Vitam S. P. Benedicti carmine elegiaco, lib. 1.

Sermones de tempore, & sanctis, lib. 1.

Contra pluralitatem beneficiorū, li. 1. Epist. addiuersos.

Pag. 425.

lin. 3. MS. *adde*: F. Hermannus, monachus Campensis in Vuest-  
phalia, qui uixit anno 1440. fertur multa scripsisse à Frit-  
temio de script. Germania, sed operū tituli iā me fugerūt.

Pag. 428.

lin. 10. lib. 1. *adde*: D. Hugo, Vuhyte, Anglus, monachus Benedi-  
ctinus, scripsit historiam luculentissimam Petroburgi, cuius  
monasterii extit monachus.

Pag. 439.

lin. 3. in 8. *adde*: F. Ioannes Burgensis, Anglus, monachus Burgi,  
cong. Cluniac. qui uixit au. 1200. scripsit, Annales Anglorū.

lin. 21. quantur. *adde*: Scripsit item Canones Anastasimos, qui ex-  
cusi sunt Tomo 4 Bibliothecæ SS. Patrum Margarini de la  
Bigne, Parisiis 1576. erratum est tamen in tempore cum  
dicunt floruisse anno 390.

lin. 38. Casino:) *adde*: D. Ioannes Franciscus, Brixianus, monachus  
Bene-

Benedictinus Cong. S. Iustinæ, collegit opus de quatuor religionibus monachorum, quod est excusum Rothomagi, anno 1510. in 4.

D. Ioannes Frumentarius, Anglus, monachus Glocestrensis, scripsit ad Glocestriæ Ducem de rebus diuersis libros plures, & commentarios scripturarum. Floruit anno 1440. sub Congreg. Cluniacensi.

lin. 26. Virgine] adde: F. Ioa. Duraclusius, Germanus, monach. Benedict. Cong. Bursfeldensis, & nostri Ioa. Trittemij discipulus, inter multa quæ fertur scripsisse, fecit Epistolam unam De uita, & operibus magistri sui, cuius fragmentum quoddam excusum est Coloniae, in principio Polygraphiæ 1564. De reliquis nihil uidi. Floruit anno 1500. & quod excurrit,

Pag. 432.

lin. 7. Paradyfi] adde: D. Ioannes Rode, Germanus, S. Theologiæ Baccalaureus, deinde Metensis Canonicus, post Carthusianus, postremò Abbas S. Matthiæ Treuirensis, Cong. Bursfeldensis, cuius fuit unus ex præcipuis reformatur, scripsit pro reformatione monachorum, Constitutiones utiles, lib. 1.

De qualitate Abbatis, lib. 1. Et alia nonnulla.

Obiit anno Domini 1439. Abbatia suæ 20. prima die Decembris, & in S. Matthia sepultus est.

F. Ioannes Rodyton, Anglus, monachus Benedictinus, qui floruit anno 1370. scripsit in libros sententiarum quatuor replicationes Scholasticas. Item, Determinationes Theologiæ.

lin. 14. in 4.) adde: F. Ioannes Vuellis, Anglus, monachus Benedictinus, Cong. Cluniacensis, qui uixit anno 1382. scripsit sequentia opuscula,

Pro religione priuata, lib. 1. De auctoritate cleri, lib. 1.

De Eucharistia, lib. 1.

Contra Nicolaum Herforde, lib. 1.

Pag. 433.

lin. 1. LXXI.) adde: F. Lambertus de Legia, monachus SS. Eucharistij, & Matthiæ prope Treuirim, an. circiter 1080. non autem 1480. ut quidam non rectè scripserunt, scripsit,

De uita, & miraculis S. Matthiæ Apostoli, carmine, lib. 1.

De S. Agricio, lib. 1.

Pag. 436.

lin. 29. suo] adde: D. Maximus, Florentinus, monachus Cong. Cal-

nenis,

nenis,

neus, transtulit de Græco in Latinum Aretam Cæsariensem Episcopum super Apocalypsim: qui excusus est Basilea anno 1553. in 8.

Item Oecumenii commentarios in omnes Diui Pauli epistolas, ibidem excusos, in 8. Tomis 2. sed cum quadam in fronte capitulorum apposuisse fidei Catholice inconsona, ob id à Sacra Tridentina synodo damnati eius labores fuere.

Pag. 443. lin. 9. extant.) adde: Nonnus Nicolaus de S. Albano, Anglus, monachus Benedictinus, Cong. Cluniacensis, scripsit

De conceptione B. Mariæ Virginis, lib. 2.

Ad Petrum Pontinicum, lib. 1. De sua legatione, lib. 1.

Decretales epistolas, lib. 1.

Ad Henricum secundum contra Hibernos, lib. 1.

Suffocatus a Musca interijt, anno Domini 1159.

Pag. 452. lin. 4. pultus est; ] adde: Donnus Petrus, Gallus, Pietauiensis, monachus, & Prior maior claustralis monasterii SS. Petri & Pauli Cluniacensis, uir illustris & doctus scripsit nonnulla, uidelicet

Ad S. Petrum Abbatem suum, Epistolarum, lib. 1. sunt

MSS. Cluniaci.

Panegyricum ad eundem, lib. 1.

In laude triumphus eiusdem, lib. 1.

Pro reformanda pace monasteriorum, ad eundem, lib. 1.

De itinere suo ad Ayam insulam, lib. 1.

Epistolam unam ad calumniatorem.

Panegyricum S. Gelasii II. Papæ, in Cluniaco sepulti.

Epitaphium Aldephonsi Episcopi.

Panegyricum custodiens inuidiam, tali exordio,

*His iaculis rapidam confodit inuidiam.*

Quæ omnia sunt Cluniaci MSS. Floruit anno Dom. 1130. uel circiter.

Pag. 455.

lin. 1. lib. 1. ] adde. F. Radulphus Hygeden, ex occidentali Anglia oriundus, monachus Benedictinus, Cong. Cluniacensis, qui claruit anno 1342. scripsit opus iuxta dierum, ac mundi ætatum numerum, quod Polychronicon vocatur, distinctum

in

- in libros 6. & alia nonnulla quæ necdum uidi.
- lin. 28. in 8. ] adde ; F. Regemarus, Flander, monachus S. Bertini, qui floruit anno 1100. uel circiter, sub Cong. Cluniacensi, scripsit uersus nonnullos de S. Arnulpho Episcopo Sussionensi, & Epitaphium eius.
- lin. 34. inquitendum) adde : F. Reinerus, monachus & eremita, Cong. Florensis, post annum 1100. scripsit Prophetiarū, lib. 1.
- Pag. 456.
- lin. 21. MS. ] adde : D. Remigius, monachus, & Abbas monasterii S. Luthuini Mediolacensis, Treuirensis Diœcesis, anno circiter 1000. scripsit  
In Pentateuchum. In Euangelium. In Apostolum.  
Regulas de uisione Abacuc, lib. 1.  
Exceptionem Prisciani, lib. 1.  
Super Donatum, lib. 1. Cantus, & sermones multos.
- Pag. 457.
- lin. 29. lib. 1. ] adde : F. Rogerius, Germanus, monachus S. Viti Corbeie Saxonice, Cong. Cluniacensis, anno 1000. & quod excurrit, scripsit multa quæ refert Trittemius de luminaribus Germaniæ, quæ iam è mente nostra exciderunt.
- Pag. 461.
- lin. 39. lib. 1. ] adde : F. Stephanus Hardinus, Anglus, monachus Benedictinus qui uixit anno 1135. sub Congreg. Cluniacensi scripsit, Exhortationes ad Monachos, lib. 1.
- Pag. 462.
- lin. 27. LXXVIII.) adde. F. Taurisanus monachus, sed quo tempore uixerit ignoro, scripsit in artem paruum Galeni librum, excusum in Italia.
- Pag. 463.
- lin. 29. Februarii,) adde : Itē Sermones in honorem Sanctorū, lib. 1.
- Pag. 468.
- lin. 10. lib. 1. ] adde : D. Vernerus, Germanus, monachus & Abbat S. Blasij in nigra silua Diœcesis Constantiensis, scripsit multa Trittemio referente libro de luminaribus Germaniæ, quorum nunc non meminimus.
- F. Vdalricus Germanus monachus S. Afræ Augustæ, scripsit simul cum Sigismundo Gossenprot Augustano, Cronica Augustensium : quæ sunt Viennæ MS. in Laziana Bibliotheca



Pag. 470.

lin. 7. vulgum] adde; Nonnus Vuerembertus, monachus, monasterii S. Galli in Heluetiis, Cong. Luxouienfis, anno 870. ut auctor est Trittemius libro de luminariis Germania; scripsit nonnulla opuscula, quorum memoriam non tenemus.

## P R Æ T E R M I S S A

## Libri Tertij.

Pag. 10.

lin. 13. deportantur] adde; In Germania, sancti Ermenoldi Abbatiss, & martyris, magnarum uirtutum uiri, qui ob pietatem impie occisus est.

lin. 30. recolo] adde; Ermenoldi; Ex eius uita quæ est apud Surium editionis 2. & Mosandrum Tomo 7. composita per quendam monachum Vadalrici Abbatis 15. iussu, anno 1281. huius Natalis hac die celebrari cognouimus. Compendium eiusdem adfert F. Zacharias Lippeloo Carthusianus, hac item die, Tom. 1. rerum gestarum Illustrissimorum Martyrum, &c. fuit S. Ermenoldus Sueuus, monachus primus S. Aurelii Hirsangie sub S. Gulielmo Abbate, ut refert etiam Trittemius in chron. Hirsangie, deinde factus abbas SS. Nazarij et Celsi apud Lauresheim; non multo post eam Abbatiam repudiavit. Accitus postmodum a S. Ottone Episcopo Bambergensi, & monacho, ut monasterio S. Georgij, in Brunfeningen, ab ipso tunc constructo, presiceretur, inuitus consensit, & mense Augusti ab Vadalrico Episcopo Patauensi consecratus est. Cum autem eius sanctitas, & mores eius, monachorum moribus non conuenirent, a quodam Aarone monacho baculo in capite percussus, ex uulnere interijt anno 1121. Abbatia 7.

Pag. 13.

lin. 19. hac die] adde; Cuius uitam ex legendario Trecenti, adfert Renatus Benedictus in uitis SS. Gallie, hac item die. Fuit natione Trecentis; monachus Luxouienfis sub Vualdeberto Abbate, tempore Clotharij Regis, & postmodum Abbas.

Pag. 20.

lin. 34. clari] adde: In Hispania monasterio S. Mariæ de Pampliga, depositio Sancti Bambæ Regis Visigothorum, miraculis clari.

Pag. 25.